



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 139. Dissidia Pontificis cum Ferdinando Neapolis Rege

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

Sæcul. XV.  
A.C. 1465.

## §. CXXXVIII.

*Cardinalibus Ferdinandi fædus cum  
Turcis minime probatum.*

Nihilominus vero satis simile est, ceteros Bessarionis sententiæ adhæsisse, decretumque, quod Ferdinandus ab ejusmodi Turcarum foedere abstineret, nec fideret speciosis Mahometis pollicitationibus, sed potius arma eidem inferret pro rei Christianæ defensione, quam ille fallacibus hisce artibus subvertere machinaretur. Cum autem Fridericus Ferdinandi Filius, ac Alphonsi frater Romam veniret, indeque Mediolanum peteret, & Ducis Sfortiæ Filiam comitari vellet, ideo spectatissimi quique Romanæ urbis Proceres eidem obviam ibant, & Papa adventantem perhonoriſſe excepit, eique Rosam auream donavit, quam summi Pontifices quotannis facrare, ac cuidam ex Principibus Christianis transmittere solent.

## §. CXXXIX.

*Diffidia Pontificis cum Ferdinando  
Neapolis Rege.*

Gobelín.  
Comment.  
Pii II. l. 2.  
& II.

Quamquam Ferdinandus Romanæ Curiae commodis valde intentus videtur, ac Pauli II. Pontificis summam inse

se benevolentiam merito extolleret, ni- Sæcul. XV.  
 hilominus simultatibus inter utrumque A.C. 1465.  
 paulopost ansam præbuit sequens rerum  
 vicissitudo. Jam a longo tempore Ever-  
 sus Comes, vivum inhumanæ Tyranni-  
 dis simulacrum, Ecclesiæ ditiones cru-  
 delissime vexabat. Hic cum sub idem  
 ferme tempus, quo Paulus II. creatus *Platin. in*  
 est Pontifex, ex hac vita migrasset, filii *Paul. II.*  
 ejus vestigia Patris non modo sequeban-  
 tur, sed illum etiam nequitia, ac crude-  
 litate superabant. Misero hoc rerum sta-  
 tu commotus Pontifex, clanculum disper-  
 fas contraxit copias, ut in eos inopinate  
 irrueret, transmisit quoque Ferdinandus  
 utpote clientelari nomine Romanæ Ec-  
 clesiæ obstrictus, quasdam militum co-  
 hortes, quæ itidem in hac expeditione  
 usui essent. Igitur Paulus hunc exerci-  
 tum occultis itineribus in tyrannicos hosce  
 filios immisit, eosque nil sibi metuentes  
 obruit, atque intra quatuordecim dies  
 perfecit, quod quatuor ejus Prædecesso-  
 res, Eugenius, Nicolaus, Callistus, &  
 Pius exequi non valuerunt. Ferdinandus  
 tam promptæ ac secundæ victoriæ  
 successum suis armis adscribebat, atque in  
 tanti meriti præmium sibi superiorum an-  
 norum tributum, quod Romanæ Sedi pen-  
 dere cogebatur, relaxari, illud vero, quod  
 deinceps soluturus esset, diminui petuit;  
**Pontifex econtra contendebat, quod Rex,**

Sæcul. XV. cum plurimis titulis Ecclesiae Roma-  
A.C. 1465 næ devinctus esset, in gratitudinis pen-  
sum ampliorem adhuc summam numera-  
re deberet. Hæc fuit origo contentio-  
num, quæ longo admodum tempore Pa-  
pam inter & Regem seruebant.

## §. CXL..

*Scanderbegus a Turcis cæsus.*

*Papiens. ep.* Paulus II. Scanderbegum, Albaniæ Re-  
163. *& seq.* gem, ut bellum adversus Turcas re-  
stauraret, fortiter animabat. Is enim  
quamvis antea per plusquam viginti an-  
nos pro Fide Christiana pugnasset, nunc  
tamen hortatu Venetorum & Archiepi-  
scopi Dyrrachini cum Mahomete pacem  
inibat; cum autem necdum in eo Eccle-  
siam tuendi ardor deserbuisset, ipse suas  
summi Pontificis incitatus, & promissi  
auxiliī spe fretus pacis sodera rescidit.  
Enimvero prima belli molimina admo-  
dum felix exceptit successus, fusis cæsis  
que a Scanderbego nonnullis Turcarum  
copiis. Mahometes vero violatam fidem  
acceptamque cladem indignatus, ipsius  
exercitus sui imperium suscipit, in Alba-  
niam irruit, & Crojam illius Metropolim  
obsidione cingit, irrito tamen conatu,  
quare promptam urbis ditionem de-  
sperans, Constantinopolim reversus est,  
exer-